Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 927

Quelle:
Copyright:

&c. Quartae: *Sicuti a nobis dominus pro ſuſcepti officii neceſſitate loquendi poſcit officium* &c. Quintae: *Scimus quidem ſpiritualis militie cui nos mancipamus magnam eſſe in futuro remuneracionem* &c. Sextae: *Ad hoc ad illum locum conuenimus fratres, vt domino noſtro vacare poſſimus* &c. Septimae: *Qui inter multos vitam agere conſtituunt, aut cum grandi fructu* &c. Octavae: *Si quando terre operarius et ruris cultor agrum ſuum ſeminibus preparat* &c. Nonae: *Videte vocationem veſtram kariſſimi, venire ad beremum ſumma perfectio eſt* &c. Decimae: *Ait quodam loco ſermo diuinus. In diebus ſollempnitatum veſtrarum affligite animas veſtras* &c. Homiliae hae X. in *Bibl. PP. Lugdun.* T. VI. a p. 656. *Euſebio Gallicano* Ep. tribuuntur; notatur tamen ad marginem: *V. VI. IX. et X. Caeſario adſcribi.* Verum, cum idem omnium X. ſtilus ſit, omnium autor *Monachus*, quem *Euſebium* fuiſſe non conſtat, conſtat autem fuiſſe *Caeſarium*, et primo quidem *Lerinenſem*, tum in *Inſula* prope *Arelatem*, cujus etiam *Homil.* V. meminit, *Abbatem*, verius omnes X. ad hunc prae illo redeunt. Qua in ſententia et Autores *Hiſt. lit. Galliae* T. III. in *vita Caeſarii* eſſe video. Poſteriores II. *Homiliae* T. VIII. *Bibl. PP. cit.* p. 645. et 855. inter *Caeſarianas vigeſima ſexta* et *trigeſima ſexta* ſunt, incipiuntque, prior: *Inter reliquas beatitudines, quas in euangelio Dominus et ſaluator noſter enumerare dignatus eſt* &c. Altera: *Beatus ac venerabilis pater veſter religioſa quidem humilitate ſed prope indiſcreta ſuggeſtione poſtulat* &c. Clauſula nobis rubro adjecta eſt: *Expliciunt ſermones Ceſarij Epiſcopi Arelatenſis Aput aliquos vero intitulantur Omelie Euſebij Emiſeni.* Addi poterat et *Eucherii* et *Auguſtini.* Non negligendus erit Codex noſter, quamvis recentior, illi, qui aliquando, quod optat *Hiſtoria liter. Galliae ſuprac.* ad edenda *Caeſarii Opera omnia* animum adjecerit.

II. *fol.* 15. Sermo *de Reſurrectione Domini* in Pſal. *Conuertiſti planctum meum* &c. et, *Niſi dominus edificauerit* &c. Incipit: *Dicit Gloſſa. Domus eſt populus Dei* &c. Ad calcem rubro: *Explicit ſermo de reſurrectione domini factus in Aula Collegij Wyenn.* Niſi fallor, *Henrici de Langenſtein* dicti *de Haſſia*, cujus Sermones complures ad Academicos habiti in *Auſtriae* Bibliothecis extant, ut teſtis eſt *Bern. Pezius* in *Diſſert. Iſag. ad T. I. Theſ. Anecd.*

III. *fol.* 21. *Incipit liber de Amicitia Caſſiodori.* Initium: *Quoniam diminute ſunt veritates a filijs hominum* &c. Finis: *niſi eam enormitas eliminet reatus. Explicit liber Caſſiodori de Amicitia uera.*

IV. *fol.* 30. *Incipit liber Caſſiodori de Caritate ſeu Dilectione Dei.* Subditur: *Liber primus.* Initium: *Sicut precedentia docuerunt, amicitia vera non eſt* &c. Finis:

eterna